

SCRIPTA

Numéro Scripta : 1245

Auteur(s) : Nicolas le Breton [particulier]

Bénéficiaire(s) : Bayeux, Notre-Dame (cathédrale)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1263, 10 juin

Lieu d'émission : Arganchy

Action juridique : donation

Langue du texte : latin

Analyse

Nicolas dit Le Breton donne en pure et perpétuelle aumône et garantit à l'église de Bayeux 2 pièces de terre et des hommages à Arganchy : le chapitre lui verse 15 livres tournois.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Bourrienne Valentin (Abbé), *Antiquus cartularius ecclesiae Baiocensis (Livre noir)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1902-1903, 2 vol., n° CCCCLXIX, t. 2, p. 198-200.

Texte établi d'après a

Sciant omnes, qui sunt et qui venturi sunt, quod ego Nicholaus dictus Le Breton, de assensu et voluntate Emmæ, filiæ Ricardi Oliverii, uxoris meæ, dedi, et concessi, et omnino dimisi, pro salute animæ meæ, dictæ uxoris, et omnium antecessorum nostrorum, Deo et majori ecclesiæ Baiocensi, ad opus capellani deputati ad celebrandam cotidie missam in dicta ecclesia pro animabus bonæ memoriæ Guidonis, quondam episcopi, et Hugonis, quondam cantoris Baiocensium, has terras et hos redditus, quas terras et quos redditus ego habebam in territorio de Arguenceio, ratione dictæ uxoris meæ : videlicet, duas pecias terræ, quarum una sita est apud le Bollon, inter terram Lucæ de Vallibus, ex una parte, et terram seu pratum domini Regis, ex altera ; alia vero sita est inter terram seu fossam Lucquet, ex una parte, et terram Willelmi dicti Hains, ex altera ; et homagium Gaufridi Garet, cum tenemento quod de me tenebat, ratione dictæ uxoris, de quo mihi reddebat annuatim decem solidos Turonenses ad festum sancti Nicholai hyemalis, duas gallinas et unum panem ad Natale ; et homagium Jacobi de Arguenceio, cum tenemento quod similiter de me tenebat, ratione dictæ uxoris, de quo mihi reddebat annuatim sex solidos Turonenses ad festum sancti Michaelis in septembri, et unum denarium Turonensem ad Natale Domini : tenendas et habendas dictas pecias terræ, cum prædictis homagiis et redditibus, dictæ ecclesiæ, ad opus dicti capellani, tanquam puram et perpetuam elemosinam, sine aliqua exactione, libere, pacifice, et quiete, et sine reclamazione aliqua mei vel hæredum meorum, seu dictæ uxoris vel hæredum suorum. Et si ita contigerit quod dicta uxor seu ejus hæredes aliquid reclamarent, post decessum meum, in prædictis terris, homagiis et redditibus, ego obligo herbergagium meum, quod habeo in parrochia de Bernesco, quod vocatur la Bretoniere, prout se extendit tam in longo quam in lato, tam in gardignis quam in pratis, ad faciendum competens excambium dictis ecclesiæ et capellano, quocienscunque fuerit necesse : quod herbergagium ego vel mei hæredes de cetero non possumus vendere, sive alienare, seu aliquo reddito honerare, quin dicti ecclesia et capellanus ibi possint suum excambium percipere et habere ; et pro isto excambio faciendo dictis ecclesiæ et capellano, si necesse fuerit, dictus capellanus, de bonis dictæ ecclesiæ, mihi dedit quindecim libras Turonenses in pecunia numerata. Et, ut hoc sit firmum

et stabile in perpetuum, præsentem cartam sigilli mei munimine confirmavi. Actum anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo tercio, mense junii, die dominica ante festum sancti Barnabæ apostoli, coram parrochia de Arguenceio.